



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Calamitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Verum ea quoque causa esse potest suppressæ caudæ, quod tempus aut à præterito, aut à præfenti, aut à futuro consideratur, quæ omnia incerta nobis omnino sunt: præteritum siquidem intueri minime possumus, & cum principio caret, neque mente quidem concipitur, futurum longe minus, quia nondum est, & finis ejus prorsus incognita, qua de Horatius tertio Carminum, od. 29.

*Prudens futuri temporis exitum.*

*Caliginosa nocte premit Deus.*

Præfens vero cum sit instabile, velocissimeque transcurrat, vix percipi potest: veluti, si digitum in defluentem aquam intingamus, discernere non possumus, utrum in præterita, an in futura, an in præfenti: quia præterita jam elapsa, futura nondum adhæsit, præfens puncto ipso statim elabitur: quæ cum omnia cognitioni nostræ subducantur, Ægyptii forsitan pro hieroglyphico hujusmodi caudam ita reduci occultarique voluerunt.

CALAMITAS. CAP. V.

**B** Habet & vocabulum ipsum temporis, hieroglyphicam omnino significationem, ut hoc obiter attingamus, & à perniciofa Saturni vi non admodum alienam. Nam Poetæ *tempus edax rerum* esse dicunt. Neque Latini tantum, verum etiam Syri & Hebræi dictionem Tempus, pro calamitosa rerum statu ponere consueverunt. Nam, *Et erit tempus eorum in seculum*, 81. Psalmo legis, & hujusmodi passim multa. Quod vero hic *in seculum* legitur, interpretes de calamitatibus dictum volunt, quæ post neglectum Christum perpetuo erant Judæos oppressura.

MUNDI MOLES. CAP. VI.

**S**unt qui aliam etiam picturam simulacrumve mundi fuisse dicant, ut scilicet intra circulum æreum <sup>Elementaria orbis figura.</sup> Serpentis effigiem accipitrino capite insignem circumducerent, ad  $\odot$  propemodum literæ simili- <sup>ra.</sup> tudinem: ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, Serpente, bonum dæmonem, cujus merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementarem hunc orbem tantum ex hieroglyphico hujusmodi colligimus, verum etiam & cælum ipsum, quod sub Jani sigmento fabularum involucris occultatur. Janum enim ab eundo dictum peritiores asserunt. Mundus itaque initium ex se faciens, cum in se revertatur, figuræ ipsius, quæ posi- <sup>Macrob. lib. 1. c. 18.</sup> ta est, rationem ostendere videtur.

ANNUS. CAP. VII.

**C**æterum, quia Janus ubique anni dominus decantatur, quem à circuitu vocatum dicebamus, eundemque ac Apollinem intelligunt, veluti Dianam Janam olim appellatam affirmant, quos utriusque anni arbitros esse testatur antiquitas, præcipue vero Virgilius cum dicit,

*Vos o clarissima mundi*

*Lumina, labentem cælo qua ducitis annum,*

*Liber & alma Ceres.*

*Georg. lib. 2*

Nam & Lucretius serpente Solem dixit, ut annum instruat:

*Annua Sol in quo contundit tempora Serpens.*

*Macrob. lib. 1. c. 18.*

Quod vero Maro Liberum & Cererem huc inculcarit, doctissime factum: utpote qui apud Orpheum legerat,

*Ἡλιον ὃν διόουσον ἐπίκλησιν καλέουσι.*

**D** & apud Euripidem & Aristotelem eundem Solem & Bacchum esse de quo nos apertius alibi. Dionysium eundem & Bacchum, & Liberum & Solem, aut igneam Solis vim, non ex Orpheo tantum, sed & Euripide, Aristotele & Eusebio Macrobioque citatis indicavimus: ubi apud eundem Virgilium ex antiquis codicibus legendum ostendimus, *Qui ducitis annum*, scilicet Liber & alma Ceres: licet, *qua lumina*, idem sit.

ÆOLUS. CAP. VIII.

**I**psa autem macularum varietas, & anni significatum in Serpente detectum, id in memoriam adducit, quod Æolus ejusdem varietatis gratia vetustas tempestatibus præpositum effinxit, per quem annum ipsum intelligebant: eaque de causa Hippotæ filium dixere, quod celeri cursu tempus elabatur. Equis enim hoc à natura tributum, ut nascantur ad cursum, quod loco suo disputatum est.

Y

Habe-